Literæ Illustrissimi et Reverendissimi Episcopi Culmen: ad Magistratum Thorunensem,

Spectabiles Domini Amici plurimum Honorandi

Credideram Vras DD. nuper eo fine declarationem distulisse, ut interea repetitis Consilijs, finalem afferrent sed præter omnem expectationem meam accidit, quod ex una occasione in aliam rem pro trahant, non sine gravi pacis Conciliandæ dispendio quæ quo maturius coalesceret, eo fructus Amicitiæ proferret uberiores, Verum quia viris DD: visum est, rem ita differre, esto sane, ego ut Constantem propositæ amicabilis Compositionis et amicitiæ cum viris DD: Colendæ Studiosissimum animum meum declarem, Huic dilationi acquiesco, quam tamen ad Conventum ante Comitialem Graudenti celebrandum, et non post, præfixam intelligi volo. Quod uberius Spectabilis Dominus Johannes Kisling DD: viris referet, quos vicissim ut salubriter et felicissimæ vivant, Divinæ protectioni commendo. Lubaviæ 26 Aprilis 1642 Spectat.

Spectabilium Dominorum venerandorum Amicus benevolus. Casparus Dzialinsky Episcopus Culm: Pomeraniæ

Conditiones ab Illmo et Rmo Dno Episcopo Culmen: pro componendis Controversijs, cum Civitate Thorunensi per Dominos Mediatores propositæ.

1. Publicam processionem, per Circulum Fori Civitatis libere permittant omnemque Securitatem præcustodiant sub pænis, de quibus, coram, hanque libertatem sibi et Successoribus spondeant, pœnas in Constitutione Anni 1638 memoratas persolvant.

2. Nundinas profesto Ascensionis ab immemorali tempore Celebratas, Dominicam Trinitatis translatas, eo fine ut devotio illa impediretur ad veterem Consvetudinem reducant.